



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 80. Papa Gallos a Mediolano arcere nequidquam conatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI. lii discrimine indemnes servare, a Rege
 A.C. 1513. Catholico jubebatur, non modo rerum
Marian. lib. faciem, sed & animos in diversum re-
 30. n. 83. pente mutavit, nam omnes Longobar-
 diæ urbes a Maximiliano Sfortia novo
 earum Duce deficiunt, sola Navarra &
 Novocomo in ejus fide persistentibus, eo-
 quod validissima, quibus munitur, eo-
 præsidia civium mutabilitatem coerce-
 rent. Denique Sfortia, cum vix delibatis no-
 vi sui Principatus auspiciis, jam impro-
 viso adversantis fortunæ flatu depressus,
 ruinæ proximus esset, Novarram sese re-
 cipere compulsus est, ubi eum Helvetii de-
 ducebant, qui horum eventuum potius
 testes, quam vindices erant, utpote mu-
 tua cum Hispanis dissidia foventes.

§. LXXX.

*Papa Gallos a Mediolano arcere ne-
 quidquam conatus.*

Hucusque Leo Pontifex sua Studia ex
 æquo partiebatur: verum cum Tri-
 molius Italiam invaderet, ad alterutram
 partem sese inclinare compellebatur, ut
 hoc pacto Venetorum, Gallorumque pro-
 gressus inhiberet: Præprimis nil intentā-
 tum reliquit, ut Venetos a firmando
 foedere cum Galliarum Rege absterreret;
 ast nihil datum est illius precibus. Præ-
 terea Cinthium clientem suum ad Regem
 able-

ablegat, qui ejus nomine declararet, Sæcul. XVI.
A.C. 1513.
quod Papa Prædecessorum suorum vesti-
giis minime inhærere cogitaret, sed po-
tius paternum animum omnibus exhibe-
re vellet, quamvis enim affectum, quo
Medicæa domus Galliarum Reges avita
fide veneratur, cum lacte suxisset, nec
tamen facere posset, ut sub primis statim
auspiciis Pontificatus sui, quo nonnisi uni-
co mense potiretur, Sedis Apostolicæ
foedera a suis Prædecessoribus inita vio-
laret, licet equidem Gallis plurimum fa-
veret, si tamen palam eorum partes se-
queretur, id inconsultum foret, cum sic
potissimorum Principum odium in se con-
citaturus esset, quam ob causam, in-
quiebat Cinthius, rogat Papa, ut tem-
poris necessitati, non mentis aversioni
adscriberet Rex, si is forte Mediolanen-
sium invasioni quovis pacto obsistere com-
pelleretur. Tandem Ludovicum precaba-
tur, ut literas, quibus eum a turbanda Ita-
liæ tranquillitate dehortaretur, æquo
ferret animo. Ludovicum cunctis Papæ
monitis exiguam fidem habuisse, ex iis,
quæ postmodum attentaverat, conjici-
mus.

§. LXXXI.

*Prædecessoris exemplo novus Papa
Gallis adversatur.*

Abs dubio Ludovicus sibi persuasum ha-
bebat,